

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Matthaeus Voland Jacob Müller

Collegii Logici Disputatio II. De Praedicationibus Et Praedicabilibus

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729606953>

Druck Freier  Zugang



R u. phys 1642

Voland, Matthaeus,
Collegii logici disputatio
2 - 11



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729606953/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729606953/phys_0002)

DFG

בָּשֵׁם הַשְׁפִּיט

COLLEGII LOGICI
Disputatio II.

DE
PRÆDICATIONI-
BUS ET PRÆDICABILI-
BUS,

Quam

PERMISSU

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
In Alma Rosarum

SUB PRÆSIDIO

M. MATTHÆI VOLAND,

Mœno-Francofurtani S.S. Theol.

Studioſi,

Praefantissimis & literatissimis suis Dominus
Collegi proponit ventilandam Respondens

JACOBUS MÜLLER Lubec.


Ad diem 9. Februarij Anno 1642.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typogr.

CANNO M. DC. XLII.



Collegij Logici
DISPUTATIO II.

De
PRÆDICTIONIBUS ET PRÆ-
DICABILIBUS.

Thesis I.



Uum Prædicabilia sint certi mo-
di prædicandi, antequam ad eorundem explica-
tionem accedamus, aliquid prius de prædica-
tionibus dicendum est.

II. Est autem prædicatio affirmatio unius
de altero: Dico Affirmatio, ut excludatur nega-
tio, quæ non est prædicatio, quando sumitur vocabulum Prædica-
tionis in stricta sua significatione: Hinc & Prædicatio & Enuncia-
tio distinguuntur ut latius est strictius: Enunciatio enim affirmati-
va vel negativa est; Prædicatio autem tantum affirmativa est.

III. Prædicatio, cum sit propositio affirmativa, habet duas par-
tes ex quibus constat, subjectum scil. & Prædicatum.

IV. Prædicatio alia est Propria, alia Impropria.

V. Propria est, cujus partes, id est Subjectum & Prædicatum
in propria significatione sumuntur, ut: Petrus est justus; Bestia est
animal. Impropria est; cujus pars aliqua vel subjectum vel prædi-
catum accipitur in Impropria, vel Figurata, aut Tropica signifi-
catione; ut: Prata rident; Herodes est vulpes. Sed has improprias
prædicationes examinet Rhetor.

VI. Habent tamen & Dialectici alias improprias prædica-
tiones; Unam Causalē, alteram Concomitativam.

VII. Prædicatio causalis est, in qua Effectus de sua Causa vel
Causa de suo Effectu in recto casu prædicatur ut: Dies est præsen-
tia solis; vel Præsentia solis est dies. Prædicatio concomitativa est,
in qua unum de altero affirmatur in recto, ideo tantum, quia unum
cum altero necessariò existit, ut: Generatio unius est corruptio
alterius.

VIII. Dicuntur autem prædicationes hæ impropriæ, quia per
Copulam in prædicationibus hisce non significatur identitas rei

A

per

per subjectum & prædicatum in recto significatæ, uti alias copula, vel Verbum substantivum Est id ipsum in prædicatione Propria facit. Dicitur in definitione utriusq; Impropriæ, In casu recto; Nam quando in obliquo casu formantur prædicationes istæ fiunt ex improprijs propriæ. vid. Manuduct. ad Log. Philip. du Trieu. Artic. 1, p. m. 27. seq.

IX. Prædicatio Propria est vel Ordinata vel Inordinata.

X. Prædicatio Ordinata est, quæ & Naturalis vocatur, quando id quod aptius ex natura sua est Prædicari, prædicatur, ut sit in istis prædicationibus, ubi superioris prædicatur de suo inferiori ut: Homo est animal; vel connotativum de suo absolute, ut: Homo est risibilis. Prædicatio verò inordinata est, in qua non prædicatur id, quod ex natura aptius est prædicari. Est autem illa vel contra ordinem seu contra naturam, ut alij loquuntur, vel præter ordinem seu præter naturam, ut iterum alijs placet loqui. Inordinata prædicatio contra ordinem est, in qua prædicati loco est positum, quod tamen ex natura sua debebat subiici, ut: Animal est homo; Risibile est homo. Et hoc semper sit, quando inferius in linea prædicamentali positum prædicatur de suo superiori, vel absolute de suo connotativo prædicatur. Prædicatio Inordinata præter ordinem est, in qua neutrum extrellum aptius est prædicari vel subiici, & est vel Identica vel prædicatio per accidens. Prædicatio identica est, cuius prædicatum & subjectum est unus idemq; conceptus, ut: Ensis est gladius: Petrus est Petrus. Prædicatio autem per accidens est, in qua unus terminus connotativus de altero etiam connotativo prædicatur ratione materialis sui significati, ut: Album est dulce. Sed hic notandum venit, abstracta horum concretorum de se invicem affirmari non posse: Non enim licet dicere Albedo est dulcedo. Si enim duorum connotativorum terminorum abstracta de se invicem affirmative enunciari queant in casu recto, non haec est prædicatio, per accidens, v. g. Album est coloratum possim dicere albedo est color, ubi est prædicatio generis de sua specie.

X i. Prædicationum insuper alia est Intrinseca alia Extrinseca: Intrinseca est, quando prædicatum, quod denominat suum subjectum, inest ipsi subjecto: Extrinseca verò est, quando prædicatum non est in e subjecto, quod denominat, sed in alio.

XII. Præ-

XII. Prædicatio Intrinseca est vel Essentialis vel Accidentalis: Essentialis, cuius prædicatum est de Essentia subjecti: Accidentalis vero est, cum prædicatum non est de Essentia subjecti.

XIII. Prædicatio Intrinseca est vel in quid vel in quale, deinde prædicatio in Quale est vel in Quale Essentialis vel in Quale Accidentale.

XIV. Prædicationum alia est Necessaria, alia Contingens, alia Impossibilis. Hæc est varietas prædicationum, quam doctrinæ prædicabilium præmittere voluimus. Sed tamen sola propria, naturalis, intrinseca, & vera prædicatio locum in prædicabilibus habet. Impropiam autem, & eam quæ est contra & præter naturam, Extrinsecam & Falsam seu Impossibilem procul hinc amandamus. Hæc de prædicationibus dicta sunt; nunc ad prædicabilem contemplationem accedimus.

XV. Prædicabile autem variè sumitur 1. pro eo, quod quocunq; modo prædicari de alio potest, sive affirmativè, sive negativè, sive verè, sive falsè, quæ significatio huc non pertinet. 2. Sumitur pro Ente universalis in prædicando, quæ significatio est Metaphysica. 3. Sumitur pro termino prædicibili, affirmabili, communi, prædicamentali, & ita est significatio hujus loci. Dicitur hic terminus à prædicabilitate, id est ab aptitudine ad prædicationem prædicamentalem, & sic aliud est prædicatum, quod intelligitur de actuali prædicatione, aliud prædicabile, quod accipitur de aptitudinali prædicatione. Vocantur alias prædicabilia Universalia etiam, sed hæc acceptio potius est Metaphysica quam Logica. Nam ita Universale est aliquid vel in Essendo, vel in Causando, vel in Prædicando, ubi deinde etiam agitur de Universalis abstractione, quæ omnia sunt Metaphysicæ considerationis. Pergo ad definitionem prædicabilis.

XVI. Prædicabile est terminus simplex & formalis, qui communiter & prædicamentaleriter, verè & affirmatè de subjecto enunciari potest: Ubi quoad definitum advertendum est, quod Prædicabile intelligatur de aptitudinali prædicatione, quæ est hujus loci, non autem de prædicatione actuali, quæ est alterius. 2. Prædicabile hic sumitur concretè prout & materiale, id est rem prædicabilem, &

A 2 formale,

formale, ipsam scilicet prædicabilitatem includit. Nam definitiones Logicæ, quamvis constent notionibus secundis, habent veritatem de notionibus primis. Et sic quando hæ considerantur in actu exercito & applicatione, tunc sumuntur pro re substrata: ut, Genus definitur, quod possit prædicari de pluribus specie differentibus, hæc definitio vera est in applicatione de notione prima, prout tamen substat notioni secundæ; Animal est notio prima, Genus est notio secunda, Rectè nunc dico, *Homo est animal*, sed tamen non bene; *Homo est genus*, cum definitiones, uti jam modo dictum est, veritatem habeant de re substrata vel de notionibus primis, prout secundis substant.

XVII. Nunc ad explicandam nostram definitionem prædicabilis accedo. Prædicabile dicitur i. *Terminus simplex* ratione complexionis enunciatiæ, alias enim non omnis complexio hinc rejicitur. Nam album est accidens ipsius hominis, & tamen est complexum quid. Sunt *Unum quid* ipsa prædicabilia, non tamen quæ vocem, sed etiam quæ significationem sive simplicem sive complexam objectivè.

XVIII. Præterea prædicabile dicitur esse *terminus formalis*, quia monstrat formam & modum prædicandi, non autem ipsam materiam, prædicamenta scilicet ostendit.

XIX. Habetur etiam in ipsa definitione, qui *communiter* enunciari potest de subjecto, id est, Universaliter, ita ut Essentia multiplicetur in ipsis subjectis, de quibus sit prædicatio. Sic homo dicitur communiter, id est Universaliter de Petro, Paulo, Johanne, seu subjectis suis, ita, ut Essentia humana multiplicetur in ipsis numerice, & diversæ & divisæ propositiones exinde extrahi queant. Petrus est homo, Paulus est homo, Johannes est homo, in plurali etiam rectè formetur propositio, Petrus, Paulus, Johannes sunt tres homines. Excluduntur itaq; *Individua*, quæ naturali & reali prædicatione nunquam prædicantur sed semper subjiciuntur & quidem si prædicatur individuum præternaturaliter vel nominaliter, id sit, ut: *Album est Petrus: Hic homo est Petrus*, id est *habet nomen Petri*. Individuum etiam non potest prædicabile salutari, quia de uno tantum non de pluribus dicitur communiter. 2. Excluditur etiam per *communiter*,

muniter, id est Universaliter dici de *subjecto*, pro ut nos explicui-
mus supra; *Natura divina*, quæ non multiplicatur in personis di-
versis, de quibus prædicatur, ita ut ad pluralitatem personarum,
multiplicatio & pluralitas Essentiarum sequatur: Est enim una
numero divina Essentia in Deo Patre, una numero Essentia divina
in Deo filio, una numero Essentia in Deo Spiritu sancto. Et axio-
ma hoc: *Quot sunt persona, tot sunt Essentia*; verum est de rebus
creatis, non autem de Ente in creato, ubi ad multiplicationem per-
sonarum non fluit multiplicatio Essentiarum propter summam
Dei Infinitatem. Natura igitur divina de tribus personis in Trini-
tate dicitur per realem identitatem, non per multiplicationem Es-
sentiale. 3. Per hæc verba, *communiter dici de subjecto*, excludun-
tur etiam *Collectiva & aggregata*, quæ etiam *divisim*, id est, in di-
versis propositionibus & *divisim*, id est, in divisim propositionibus
de quolibet *subjecto* non enunciantur. Sic non dico: *Hic homo*
est exercitus, ille homo est exercitus, sed collectum omnes milites si-
mul sumpti & collecti, ex quibus constat exercitus, sunt exercitus.
Sic nec propositio hæc vera est, *hic homo est Respublica*, sed omnes
homines, ex quibus Respubl. ordinata est, si simul collectum acci-
piantur, sunt Respublica.

XX. Additur etiam in definitione *prædicamentaliter*, id est
terminus ille qui de pluribus est prædicabilis, debet esse vel directè,
vel lateraliter, vel reductive in prædicamento. 2. In prædicamen-
to non debet esse Infimum quid, ut Individuum, quod propriè non
prædicatur. 3. Debet etiam esse in compositione prædicamentali.
Compositio autem ea non est extra Generis, Speciei, Differentiæ aut
Accidentium attributionem. Sic ergo hæc propositiones ad præ-
dicabilia non referuntur: *Substantia est Ens, Ens est finitum, Deus*
est homo, Prædestination est Actio.

XXI. Adjuncta est & in definitione hæc particula *Verè* id est
prædicabile debet rei aliquid verè, nō fictè, non falso, non impossi-
biliter, nec æquivocè attribuere. Veritas autem illa debet esse
vel *realis*, ut: *Homo est animal, vel notionalis*, ut: *Genus est prædi-
cabile, vel nominalis & externe denominationis*, ut: *Paries est visus,*
Homo est Petrus, id est, habet nomen Petri.

XXII. Exstat & in definitione hæc vocula, affirmatè id est, debet affirmatè enunciari de subjecto suo, ut ita hinc excludantur enunciationes negativæ & infinitæ, quæ hujus loci non sunt. Tantū de resolutione hujus definitionis, sequitur divisio prædicabilis.

XXIII. Prædicabile aliud est Essentialie aliud Accidentale. Essentialie est quod constituit essentiam subjecti. Accidentale est quod est extra essentiam subjecti. Essentialia Prædicabilia sunt Genus, Species & Differentia; Accidentalia sunt Proprium & Accidens.

XXIV. Ex sic ex hac divisione quinq; oriuntur prædicabilia, cuius numeri sufficientiam probat *Johannes Casus Oxoniensis in sua Dialectica p. 69. distinctione tertia questionis de numeris universalium.* Omne prædicabile prædicatur vel in *Quid*, vel in *Quale*. Si in *Quid* tunc prædicatur vel confusè, ut: Genus, vel complete, ut Species, vel distinctè & essentialiter ut Differentia. Si in *Quale* tunc prædicatur aut conversim & necessariò ut, Proprium, aut contingenter & fortuitò, ut Accidens. Velita probari potest numerus ille quinarius prædicabilium: Omne prædicabile prædicatur vel in *Quid* tantum & sic prædicatio vel sit de pluribus specie differentibus & est Genus vel de pluribus numero differentibus & est species, vel prædicatio sit in *Quale* *Quid* & est differentia specifica, vel prædicatio sit in *Quale* tantum & tunc prædicatur vel necessariò, & est proprium vel contingenter, & est Accidens: confer de numero hoc quinario & de ejus probatione prædicabilium *Clariſſ. & Excellentiſſ. Horneium exercit.* i. *De Universalibus in genere theſ. 57. seqq. p. 26. & seqq.* ut *& Scheibl. de numero prædicabilium Quest. 3. in Introduct. Log. cap. 3. de Prædicabilibus.*

XXV. Hactenus de Prædicabilibus in genere, nunc in specie explicanda erunt & quidem primo de Genere aliquid dicendum esset, sed antequam hoc faciam, de fundamento, Individuo scilicet aliquid dicam.

XXVI. Individuum est, quod non potest dividī in plura ejusdem naturæ & rationis, adeoq; est aliquid numero unum, alias dicitur Ens singulare: Id exprimitur i. vel nomine Proprio, ut Petrus, vel 2. Pronomine demonstrativo, ut: Hic homo; vel 3. *et cetera* l. cir-

S. circumscriptione ut: Romanæ Eloquentiæ Princeps, i. e. Cicero
vel 4. ἡγέτης ἐξ ὄχην ut Poëta id est Virgilius: vel 5: signo particulari,
& est Individuum Vagum ut; Quidam homo.

XXVII. Canones de Individuo. Individuum non est prædicabile de pluribus. 1. Individua sunt fundamenta generum & specierum. 2. Individuum est hoc aliquid, & alicubi, & nunc. 3. Individua primario non considerantur in disciplinis.

XXVIII. Genus est prædicabile, quod de pluribus specie differentibus prædicatur in *Quid non Conversim*. Dicitur autem, quod Genus sit *prædicabile*, & ita innuitur ejusratio materialis: præterea seqvuntur hæc verba de pluribus specie differentibus: Ea autem dicuntur specie differre, quæ differunt formis & differentijs specificis superadditis; nota autem hic aliud esse differre specie, aliud primò diversū esse, dicitur & de pluribus specie differentibus, intellige primò & immediate; secundariò etiā & mediate de pluribus numero differentibus. Additur etiam quod prædicatur, quæ prædicatio intelligitur de aptitudinali prædicatione non de actuali. Nam *actualiter* non prædicatur de pluribus, ut quando dico: Homo est animal, potest tamen dici de pluribus. Deinde hæ voculæ in *Quid adjiciuntur*, ut significetur Genus prædicari de suis speciebus quidditativè, essentialiter & constitutivè. Genus enim largitur totam suam naturam & essentiam ipsis suis speciebus. Deinde etiam in *Quid prædicari* est, quando interroganti, quid res sit, responderetur, quod sit hoc vel illud. Tandem adjunguntur etiam hæ voces *non conversim* id est, non reciprocè, ita ut inter Genus & speciem non detur reciprocatio. Nam rectè dico: *Omnis homo est animal*, minus tamen congruè & falso; *Omne animal est homo*.

XXIX. Quomodo hæc definitio generis à multis variè impugnetur, de hac re vide ipsum Scheibl. in *Introduc. Log.* cap. 3. de prædicabilibus, quæst. 1, Objecta ubi proponuntur & solvuntur.

XXX. Divisio Generis: Genus est vel summum seu generalissimum quod supra se non habet aliquid genus & horum genera sunt decem ut: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio &c. Intermedium & subalternum est, quod inter supremum Genus & insinam speciem interjacet. Deinde Genus est vel remotum vel proximum, Univocum vel Analogum, &c.

XXXI. Cano-

Differencie sp.

XXXI. Canones Generis. 1. Genus cum sua Specie est ejusdem prædicamenti. 2. Genus prædicatur de omnibus speciebus sub se contentis. 3. Quicquid prædicatur de Genere, prædicatur etiam de specie. 4. Tota natura Generis continetur in qualibet Specie. 5. Omne Genus naturâ prius est suis speciebus atq; differentijs, & propterea prius quoq; est in cognitione, quæ est secundum naturam. 6. Posito Genere non est necesse ponere determinatam aliquam speciem. 7. Sublato Genere, tolluntur omnes ejus Species. 8. Omne Genus latius patet quam Species.

Species differentia **XXXII.** Species est prædicabile, quod de pluribus saltem numero diversis seu differentiis prædicatur in Quid. *Numero differre* dicuntur illa, quæ differunt individuis. Dicitur præterea, quod prædicatur de pluribus numero tantum, ut excludatur inde Genus, quod etiam prædicatur mediatè de pluribus numero, sed non tantum, quia etiam dicitur de pluribus specie differentiis. Est autem species prædicabilis, quæ inter Prædicabilia recensetur, terminus ille prædicamentalis, qui in linea prædicamentali immediate & proximè supra Individuum ponitur, ut : Homo : Et hoc modo species specialissima definita est. Generaliter ita posset definiri: Species est quæ collocatur sub Genere, cui Genus attribuitur in questione quid est? Quæ definitio intelligitur de omnibus speciebus etiam subalternis.

Species **XXXIII. Divisio Speciei.** Species est vel Infima sive specialissima, quæ immediate dicitur de Individuis atq; semper est species, ut: Homo : vel est Subalterna sive Intermidia, quæ est saltem subiectibilis & coincidit cum genere subalterno, adeoq; modo potest esse Genus respectu inferiorum, modo Species respectu superiorum.

XXXIV. Canones. 1. Plus est in specie quam in Genere. 2. Post species ponitur Genus. 3. Nihil est in Genere, quod non etiam sit in specie. 4. Species Genere suo posterior est naturâ & cognitione distinctâ.

XXXV. Differentia est prædicabile, quod cum Genere constituit certam speciem & de pluribus specie vel numero differentiis prædicatur in Quale Quid?

XXXVI. Divi-

XXXVI. Divisio differentiae. Differentia est vel *accidentalum*, quae accidentaliter discrepant: Sic Paries hic ab alio distinguitur albedine; vel est *essentialis*; quā unum differt ab alio per essentiam propriam, & vocatur alias specifica, quia constituit speciem. Essentialis est vel *divisiva* vel *constitutiva*. *Divisiva* est, quæ dividit Genus in oppositas species, ut *rationale* & *irrationale* respectu animalis. *Constitutiva* est, quæ alteri dat esse: & hæc est vel *Generica* vel *specificæ*. *Generica* est, quæ dat esse genericum, ut: *sensitivum* respectu animalis. *Specificæ* est, quæ dat esse specificum, ut: *Rationale* respectu hominis: Ita etiam de differentia dictum est.

XXXVII. Proprium est, quod per se & necessariò de altero dicitur in Quale.

XXXIX. Dividitur proprium quod est quadruplex: I. Quod soli speciei sed non omni Individuo convenit, ut: *Metaphysicus*. II. Quod omni Individuo istius speciei, sed non soli speciei isti competit, ut: *Bipedem esse respectu hominū*. III. Quod soli & omni competit, sed non semper, ut: *Canescere respectu hominū*. IV. Quod convenit soli & omni speciei, & semper, ut: *Risibilitas respectu hominū*. Quadruplex hoc proprium comprehenditur hoc versiculo: *Est Medicus, Bipes, Canescens, deniq; Risus*. Proprium autem in quarto modo est propriissimum proprium.

XXXIX. Canones. I. Propria intelliguntur de potentia non de actu. II. Propria accidentia non constituunt essentiam rei sed constitutam insequuntur. III. Propria reciprocantur cum suo subiecto. IV. Proprium distinctum est nota distinctæ essentiae.

XL. Accidens prædicabile est quod adesse & abesse potest absq; subjecti interitu, adeoq; contingenter de alio dicitur, ut: *Homo est albus*.

XLI. Divisio Accidentis. Accidens est vel *separabile*, quod à subiecto suo re ipsâ separari potest, ut: *Albedo à pariete*, vel est *Inseparabile*, quod non re ipsâ sed cogitatione tantum à subiecto suo separatur, ut: *Calor ab igne*, *Nigredo à Corvo*, *Amaritudo ab abstinthio*. Accidentium etiam aliud est prædicabile, aliud prædicamentale, Prædicabile est sàpè substantia, prædicamentale verò semper est accidens.

XLII. Cano-

XLII. Canones, 1. Quicquid prædicatur in quale & contingenter dicitur accidentis Logicum. Tale autem est omne id, quod non per se dicitur, ut: Ferrum estignitum, Paries est albus. 2. Accidentia tribuuntur subjectis in concreto non in abstracto.

XLIII. Ita nunc finio disputationem hanc de prædicationibus & prædictabilibus.

C O R O L L A R I A.

1. An propria in quarto modo possint communicari? Resp. per Affirm.
2. An propria possint à subjectis suis separari? Resp. facta distinctione per Affirmationem.
3. An fures pleetendi sint pena capitali? Affirmatur.
4. An liceat Viro bono interdum mentiri? Neg.
5. An Usura sint licita? Aff.
6. An Fortitudo etiam cadat infaminas? Aff. Ratio 1. quia omnis homo sana mentis est capax cuiuslibet virtutis. 2. Quia quodcumq; est capax vitii, illud etiam capax est virtutis. 3. Quia quemadmodum reperitur aliquando Vir, qui habet animum effeminatum: ita è contrario in quibusdam feminis reperitur animus virilis.
7. An fortis sic censendus, qni sibi ipsi mortem consciscit? Neg. Vera enim virtus in omnibus actionibus honestum respicit, quod illi, qui sibi ipsis violent manus inferunt, non faciunt. 2. Viri fortes adversa equo animo ferunt. 3. Viri fortes nihil agunt contra justitiam & regenerationis prescriptum.

F I N I S.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729606953/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729606953/phys_0016)


DFG

XL. *Demonstratio quæ sit à causa remota* cœlusionem negativam, nunquam affirmativam remotâ, non necessariò ponitur effectus, sublatâ tollitur effectus. Unde syllogismi dememotâ sunt in secunda figura in modo *Camest* quid respirat, habet animam sensitivam, *Lapis sensitivam*. *E. lapis non respirat*. In hac demonstratione sensitiva est causa remota respirationis, noua præsens animâ sensitivâ, non ponitur respiratio, pri sensitivam habent, non tamen respicant. Proxima respirationis. Exinde perspicuum est, sa, e. g. animâ sensitivâ non posse procedere a etiâ, respirationem. Negativè tamen optinet quæntia, Sublatâ enim causâ remotâ, effectus monstratio à causa remota habet aliquam convolutionem absolute ita dicta, quia utraq; effectus ab ea 1. quia non est causa proxima, per 2. quia propositiones non sunt immediatae. De effectu longè est perfectior illâ, quæ est à causa demonstratione ab effectu propositiones immediatae non contingit in demonstratione à causa remota causa est, neque propositiones immediatae.

XL. Sed dicat fortassis aliquis hanc divisionis non esse immediatam, sed dari alia genera demonstrationum, aliam *τέχνην*, aliam *τέχνην*, quæ demonstratur *τόπος & dión* simul. Ita *com. 95.* & *in epit. cap. de demonstratione & lib. 2. alibi Resp.* Objicienti hoc dubium, non esse demonstrationem aliam *propter quid tantum*, aliam *simul*. Nam omnis demonstratio *diotínia* involvit.

2. Objiciunt & alij hoc modo: Si datur de ad effectum, & vicissim ab effectu ad causam, monstratio ab effectu ad effectum aliud nec Ratio, quia propter necessariam effectum con-

C



the scale towards document